

Corpus 1 — 2 pedum et ultra longitudine, 4 pollicum et ultra latitudine. Dorsum fusco-ochraceum, paulisper olivaceum, in medio et lateribus eminentiis insignibus, biseriatis, papilliformibus, pediferis fere pectinatum, in laterum margine, nec non in anteriore seu orali corporis parte similibus eminentiis, sed longioribus et magis conicis, fere dentatum. Pedes dorsales et reliquum dorsum verrucis parvis, acuminatis obsessa. Abdomen planum, ferrugineum, pedibus sulphureis, apice aurantiacis, numerosissimis, sparsis, densis instructum. Pars oralis et tentacula ferruginea.

In Insula *Lugunor* Archipelagi Carolinensis.

Spec. 8. ?*HOLOTHURIA monacaria* Less. Cent. Zoolog. tab. 78. p. 225.

Subgen. *Microthele*.

Dorsi pedes parum evoluti, rarius ex eminentiis mamillosis parum distinctis prominentes.

Spec. 9. *HOLOTHURIA (Microthele) maculata* Br.

*HOLOTHURIA* n. 17. *Mss. Mertensii*.

Corpus circiter pedale, 2" latum, supra mamillis sparsis, parum distinctis obsessum, nigricans, sed maculis magnis albis marmoratum, subtus fuscum. Tentacula fusca. Pedes numerosissimi, fusciscentes.

In Insula Guahan.

Observ. Transitum quodammodo facere videtur haec species ad subgenus *Thelenota*.

Spec. 10. *HOLOTHURIA (Microthele) dubia* Br.

*HOLOTHURIA* n. 10. *Mertens. Mss.*

Corpus circiter spithamale et ultra, dorsum fusco-ochraceum, striis duabus longitudinalibus dentatis, albis, parallelis. Tentacula e fuscescente albida, in disco pallide fuscescentia.

In Insulis Boninsimensibus.